

**05**

**A**

**386**



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-522339-p0002-0

DFG

5.

I. N. J.  
DISPUTATIO PRIMA  
*De*  
**PARVIS LOGICALIBUS,**  
*Quam*  
SUB PRAESIDIO  
*Reverendi atq; Excellentissimi Viri*  
**Dn. JOHANNIS SCHARFII;**  
**SS. Theol. Licent. & Professoris Log. & Metaph. P.**  
*proponit*  
**M. JOHANNES DÜRRRIUS, DRESD.**  
*Alumnus Elec<sup>t</sup>.*  
*d. 19. Sept. horis antem.*  
*In Auditorio Majori.*

---

WITTEBERGÆ,  
Typis JOHANNIS HAKEN, M. DC XXXVIII.



ДІЛЯНКА  
ЛІГАЛОГІЧНА

САНКТ-ПЕТЕРБУРГ

ІМПЕРІАЛЬСЬКА СБІРКА  
БІБЛІОТЕКИ  
ІМПЕРІАЛЬСКОГО Університету



ГЕРМАНСКАЯ НАЦИОНАЛЬНАЯ БИБЛИОТЕКА

05 А 386

ДОКУМЕНТИ  
ІМПЕРІАЛЬСЬКА СБІРКА  
ІМПЕРІАЛЬСКОГО Університету



## I. N. J.

**P**ro felici Exordio animadvertisendum studiose, quod dicantur Parva Logicalia, tum quia parvis Dialectica operam, dantibus traduntur; tum quia parva magis utilia documenta ex multis & magnis voluminibus Aristotelis, Platonis, & aliorum, Philosophorum excerpta in praesenti occurrunt. Quemadmodum Collegium Conimbricense exclusit Parva Naturalia, b. e. Parva de rebus naturae opuscula, & supplementa quædam librorum de anima. Sunt autem Parva hæc Logicalia affectiones quædam terminorum, ut in Enumeratione spectantur; quarum apud Autores varie atq; diversæ obviam veniunt enumerationes. Nos sequemur illos, qui sequentes in Logica Theatrum introduxerunt: Suppositionem, Ampliationem, Statum, Distractionem, Appellationem & Restrictionem. Cui jam non turpe est ex Commentario sapere, consulat hac de re Scholasticos & Summlistas, Petrum Hispanum, Dominicum Bannes, Clarissimum Marsilium, Franciscum Toletum, Collegium Conimbricense, Petrum Fonsecam, Petrum Hurtadum de Mendoza, Introductorium Dialectices, quod Congestum Logicum appellatur, &c. Quamvis tam perplexa eorum non raro sit obscuritas, ut ab hujus doctrinae cognitione multos habentus absterruerint non modo, sed & ipsi Jesuitæ juniores idem de Veteribus Scholasticis conquerantur. Sic enim Fonseca lib. 8. Inst. Log. c. 19. scribit: Adeò inulta sunt horrida, & ab usu remota, quæ superioris ætatis homines in hisce sunt commenti, ut nisi plurima rejiciantur satius sit ea prorsus non attingere. Plures hinc inde audiuntur querela. Dilucidius longè hanc doctrinam persecuti sunt D D. Cl. Johannes Scharffius in Inst. Log. Dannenhawerus in Idea B. D. Gutkius in Logica divinâ, Dutrieu in Manuduct. ad Logicam, & alij, qui cumulatissimo fructu in consilium adhiberi possunt. Quiaverò multum interest scire exactius Suppositionum variationem; cum habeamus iusuper doctores atq; Doctores modò laudatos præluentes, non prorsus sanè abs

re esse & fruge putavimus aliquam, & quidem quantum necesse est, hanc  
dere conseruare considerationem. Quod ut certo ordine & dispositio-  
ne fiat, utpote decessione, cuius omnia quasi artus sine nervis, nexuq;  
jacent, & in futilem atq; turbutam confusionem dissolvuntur, rem o-  
mnem his duabus sectionibus sumus complexuri. Prima proponet Sup-  
positionem, quæ inter enumeratas proprietates potissima habetur. Alte-  
ra vero species reliquas. Sit ergo hanc quidem vice & dñi pmi  
σατλω.

## SECTIO I.

De

### SUPPOSITIONE.

§. 1. Suppositio (ut operi nos statim accingamus) est accep-  
tio termini in oratione positi, pro illo, quod præcisè hanc in o-  
ratione significat & repræsentat, ut: Plato est Philosophus, Ho-  
mo est mortalis, animal sentit. Alij aliter eam exponunt. Petrus  
Hispanus, Summulistarum Princeps, dicit: Est acceptio termini  
substantivi pro aliquo, t. i. Parv. Log. Dominicus Soto, qui sum-  
mulis Petri Hispani affulsiſſe dicitur, Commentarijs in ejus li-  
bros, ait: Suppositio est acceptio termini pro aliquo, respon-  
dente illi secundum eandem acceptionem, 2. part. Introductio-  
nis c. Lect. & Notab. i, Fonseca : Est acceptio nominis pro re,  
quam significat, l. Institut. Dial. 8. c. 20, De quibus ipse cum citatis  
Autoribus, ut & Collegio Conimbricensi in suâ Logicâ, (hoc n.  
omnium felicissimè & aptissimè his de rebus disputasse credit  
Hurtadus de Mendoza Proœm. in disput. de Summulis) col-  
loqui poteris. Nos in præsentiarum labore hoc supersede-  
mus.

§. 2. Quandò autem vocabula quasi rerum cubilia & inve-  
lucra sunt, ortuq; verbi cognito, citius vis intelligitur rei, quam  
cupimus introspicere; (sic Isidorus Junior in opere Etymolo-  
gico docet) meritò etiam in limine scientiæ nostræ expendimus  
eadem, atque ad examen revocamus.

§. 3. Suppositio à supponendo deducitur, quia plerunque in  
oratione terminus supponitur, in locum rei substituitur, subro-  
gatur,

gatur, sufficitur. Fieri enim non potest, ut res ipsas ferentes disputemus. Igitur nominibus pro rebus utimur, ceu signis, dicit Philosophus. Sic sphæra in Astronomiâ sufficitur pro cœlo ipso: sic in mercaturâ Calculi ænei supponuntur pro nummis aureis, quæ est Aristotelis similitudo, lib. i. Elench. c. i.

§. 4. Deinde variis induitæ significationibus incedit. Nam sæpè propositionem concessam, sæpè Principium Demonstratio-  
nis, sive Hypothesin, quam concedunt in Disputationis arenâ Opponens & Defendens, non raro acceptionem termini pro suis significatis, notat. Ultimam harum sumptionum hîc retinentes, primam & secundam nihil moramur.

§. 5. Terminum autem dicimus vocem, quæ aliquem signifi-  
candi modum habet, & hanc quidem absolutam, non tamen rigorosè talem, ut aliâs extra Enunciationis regionem fieri asso-  
let; sed in qua compositus, adjectivus & connotativus significan-  
di modus non est: ut Homo, Paternitas, bestia; vel non pendi-  
tur, ut in isto propositionum genere, quando concretum in sub-  
iecto ponitur; verbi gratia, doctus est homo.

§. 6. Ex his patet immerito quem conqueri, ejectos esse ter-  
minos collectivos ex suppositione. Nam & tales termini absolu-  
ti sunt, verbi causa, Populus, turba, acervus lapidum. Licet  
enim plura per Collectionem, non tamen modo adjectivo, hoc  
est, non subjectum in recto & formam adjacentem in Concreto,  
camq; principaliter notant.

§. 7. Quia verò omnis terminus significatus duo comple-  
ctitur: Materiam, per quam Configurationm literarum & Syl-  
labarum; & Formam, per quam ipsam termini significationem  
intelligimus. Fit, ut ipse terminus in oratione ponatur, vel pro  
materiâ, h. e. pro ipsâ voce, vel pro formâ, h. e. re-significatâ.  
Vnde bisformis enascitur suppositio, Materialis & Formalis. De  
quibus optimè juxta Mendozam Sotus 2. part. Introductionis c.  
i. lect. 13. notabil. i. & 3.

§. 8. Definitionem Materialis hanc commendat Dominicus  
Bann, tom. i. suppos. c. 3. Et Suppositio vociis pro seipsa. Ean-  
dem

dem sermè loquitur Mendoza , disp. 2. §. 2. Est usus seu acceptio termini pro seipso , h. e. pro nudâ voce , seu pro materiâ termini , v. g. Cæsar est dissylabum. Verum hoc est , non de re , quæ Cæsar est , sed de hac voce. Item animal est Neutrum , heri Adverbium , in subjectis Propositionum Suppositio materialis est.

§. 9. Quod si contingat , ut Suppositio hæc per actionem Vocis , dictionis , aut etiam per Characterem Græcum τὸν , vel Gallicum le , ( ut : τὸν animal est Generis Neutri , le heri est Adverbium , ) circumscribatur , exposita , sin minus , exponenda vocatur.

§. 10. Nomine hoc donata est , quia ex literis & syllabis , tanquam materia , voces extruuntur. Alias Suppositio technica & artificiosa dicitur , quia in illâ frequenter nidaluntur Sophistæ , dictum de Voce accipiunt de re significatâ. Itaque argumentis fucatâ quadam pulchritudine propositis , frustrâ habere solent homines.

§. 11. Illud quoque habendum insuper non est , terminos simplices non modò , sed etiam integras orationes technicè accipi posse. Exempla non desunt : Herodes est Vulpes , est oratio Metaphorica , Homo est animal , est oratio finita. Simplicem autem vel Personalem non patiuntur , dicit Hunnæus in Paradigm. Log. pag. 14.

§. 12. Hujus Suppositionis indicia clarissima sunt , quando 1. terminus planè non est significatus , ut Blysteri nihil significat : vel 2. in significativo , literatura tantum , non res per terminum ( subjectum ) alias representata & significata pensi habetur : ut ex. gr. Cicero est generis Mascul. vox hæc ( Petrus ) est bisyllaba.

§. 13. Suppositionem Formalem ita definimus : Est acceptio termini pro re , quam ex institutione hominum significat. Vel : Est usus ( acceptio ) termini pro re quam significat. Mendoz. in Summ. disp. 2. d. term. Propos. l. 2. §. 9. Ex: g. Canis currit , i. e. animal latrans.

§. 14. Denominari ita conservit , quia hic non materiale , sed ipsum formale termini estimamus : vel quia significatio est forma vocis

vocis Logicæ: Ex. g. Leo rugit, animal est corpus, Paulus est Apostolus.

§. 15. Usus, ex quo homines rem appretiare solent, sequente exhibetur Canone. A suppositione materiali ad formalem nulla est Consequentia. Sensus est: Quando terminus semel sumitur pro nudâ voce seu materialiter, semel autem pro re significatâ seu formaliter in uno eodemque argumento, tunc nulla est Consequentia. Ut:

*Homo derivatur ab humo.*

*Homo est bisyllabum.*

*Petrus non derivatur ab humo.*

*Constantinopolitanus est homo.*

*E.*

*E.*

*Mus rodit caseum,*

*Ex cuius ore prodit leo, ex illius ore prodit immanis bestia.*

*Mus est syllaba.*

*Sed qui nominat iconem, &c.*

*E.*

*E.*

Omnia hæc ratiocinia sicutum faciunt, siquidem una vox in una propositione supponitur materialiter pro se ipsa, in altera formaliter pro re significatâ extra se, adeoque pluribus terminis quam tribus diffluunt, quod est *αὐλόγιον*.

§. 16. Ita se habet Suppositio materialis & formalis, quæ iterum vel communis, quando terminus communis seu universalis pro re aliquâ accipitur, ut *Homo est animal*, *Leo est substantia*; aut quando terminus supponitur communiter pro significatu communi juxta Villalpandum lib. I. 3. part. c. I. Vel singularis & discreta, quando terminus singularis pro re aliquâ usurpatur, ut *Paulus est Doctor Gentium*, *Hæc mensa est lignea*.

§. 17. Quoniam autem omnis terminus communis duo representat, videlicet 1. Ipsam naturam communem ab inferioribus abstractam, eamq; primò & immediate. 2. Ipsas naturas inferiores, h. e. ipsas species vel quasi species & individua, quæ sub naturâ communi comprehenduntur, & quidem omnia secundariò & mediately: Terminus etiam usurpari potest, vel pro ipsâ

ipsâ naturâ communî præcisâ seu simpliciter: vel pro naturis inferioribus seu personaliter. Sic animal primo & immediate repræsentat ipsam naturam sensitivam, bruto & homini omnibusque eorum individuis communem: secundariò verò & mediately, mediante scil. significatu primario, repræsentat inferiora animalis, scil. brutum, hominem, hoc brutum, hunc hominem, &c. Omnis homo est animal. Vox homo non repræsentat ipsam naturam humanam, sed individua humana.

§. 18. Suppositionem simplicem Mendoza ita explicat: Est substitutio termini ad significandam rem, ut subest secundis intentionibus, & ab illis accipit denominationem, disputat. 2. sect. 3. §. 12. Nobis liceat talem constituere definitionem: Est acceptio termini communis pro suo primo & immediato significatu tantum: seu est acceptio vel usurpatio termini communis pro naturâ communî præcisâ ab inferioribus, i. e. pro ipso conceptu abstracto. Exempla rem illustrabunt: Homo est species, i. e. natura humana communis ab inferioribus præcisa est species: Animal nec homo est, nec bestia, h. e. natura animalis abstracta, ut talis, nec est Homo, nec bestia, sed quatenus de statu præcisionis se quasi demittit. Vide Toletum lib. 2. c. 1. & Fonsecam lib. 8. c. 24. & 25.

§. 19. Simplex audit à modo tendendi in objecta, nihil in illo efficiendo, sed ea simpliciter considerando: non raro immobili vocatur, quia in ea non ausis descendere ad inferiora per singulas propositiones. Ita suppositio simplex est, cum dicitur: Prædicamenta sunt decem. Hæc vox (prædicamentum) alias significat non Prædicamentum solum in communi, sed & substantiæ, quantitatis, qualitatis, &c. in individuo. In præsente verò propositione notat Prædicamentum solum in communi, quod non liceat afferre idem prædicatum de quovis Prædicamento.

§. 20. Hanc Suppositionem sequentia monstrant documenta. 1. Quando terminus subjecti loco positus respicit prædicatum, ut natura communis, denudata à singularitate & singularium conditione, ut: Animal est Genus, Homo est Species.

Hinc Objecta disciplinarum adæquata, & quidem Demonstratio-  
nis in scientiis capiuntur simpliciter, quia natura communis præ-  
scindit ab inferioribus omnibus, ut: Corpus naturale est adæqua-  
tum Objectum Physicæ, Ens quatenus ens, est adæquatum Ob-  
jectum Metaphysicæ, adeò, ut quicquid in Physicis tractatur, sit  
vel Corporis naturalis principium, vel affectio vel species, & o-  
mne, quod peculij Metaphysici est, sub hoc Objecto contineat-  
tur. 2. Quando Genus per suas Species & Differentias, vel Spe-  
cies, per sua Individua seu inferiora per sufficientem & plenam  
enumerationem dividuntur: item, quando de Genere Species, &  
Differentia disjunctim removentur, locum habet Suppositio  
Simplex, ut: Animal vel rationale est vel irrationale. His ex Fon-  
secâ annexi potest nota tertia: Nullus terminus affectus signo a-  
liquo, sive universali sive particulari accipitur simpliciter. Sim-  
plex n. Suppositio omnem respuit descensum: sub termino au-  
tem, cui signum appingitur, descendere, i. e. inferiora sumere  
concessum est.

§. 21. Ut porrò Personalem Suppositionem evolvamus, au-  
diamus, quomodo Fonseca naturam ejus excutiat, quando scri-  
bit: Est acceptio termini communis pro significatis (secundis)  
inferioribus, lib. I, cap. 25. Ita suppositio Personalis est, cum di-  
citur: animal est corpus. Licet n. utrobique descendere distri-  
butivè quidem quoad subjectum: disjunctivè quoad prædica-  
tum, hoc modo: Et hoc animal, & istud animal, & illud ani-  
mal, est vel hoc, vel illud, vel istud corpus vagè. Per inferiora &  
Significata secunda s. mediata intelligunt autores ea, quæ sub na-  
turâ communi per terminum primariò atque immediate signifi-  
ca continentur, hoc est, singularia, v. g. Quoddam animal ratio-  
cinatur, Homo currit.

§. 22. Vocatur Personalis per derivationem à persona, non  
quasi Suppositio hæc sit pro personis propriè sic dictis, sed ratio-  
ne termini ad quem, quia in illa licet usque ad personas (inclusi-  
vè) vel quasi personas, quia (hīc vox Personæ sumitur Synechdo-  
chicè pro quovis inferiori, sive sit species, sive individuum, &  
Persona propriè dicta, ut Gutkius loquitur) descendere, i. e. præ-

B

dicatum

dicatum de singulis, sub ambitu subjecti contentis affirmare. Sic in Exemplo, Omnis homo est risibilis, Homo supponit Personaliter, quia involvit inferiora, quibus homo alias attribui aptus natus est.

§. 23. Differt à simplici hoc interstitio, quod terminus Personaliter supponens repräsentet & inferiora sub quodam universali. Sed terminus simpliciter acceptus repräsentat ipsam naturam communem in conceptu suo præcisivo.

§. 24. Ad deprehendendam hanc Suppositionem adhibenda sunt quædam adminicula. i. Omnis vox, cui præponitur vel præponi potest, eodem manente sensu, aliquod signum, accipitur personaliter, ut: Omnis homo est animal, quia subjecto præfigitur signum Omnis: &, Homo est doctus, quia subjecto signum particulare præponi potest sensu non contorto hunc in modum: Aliquis homo est doctus. Plura conglomerata atque complicata invenies apud Fonsecam.

§. 25. Eum jam, qui à discrimine Suppositionis Materialis & Personalis non est instructus probè, facile inducere atque decipere possunt hæc Sophismata.

Substantia est Genus summum. Ens est primò cognitum,

Corpus est Substantia. Petrus est Ens.

E.

E.

Corpus naturale, quatenus naturale, est objectum Philosophie.

Casparus est corpus naturale. E.

Virtus est Genus Fortitudinis.

Justitia est Virtus.

E.

E.

Quæ omnia Canonem strenue summāq; curâ hic observandum (A Suppositione simplici ad Suppositionem Personalem nulla est Consequentia) lèdunt, atque naturam abstractam cum Individuali vitiōsè permutant.

§. 26. Personalis Suppositionis varias iterum adducunt autores divisiones, ad quas subsultim quasi percurrentias descendere non erit üdegev tίμενη, ηγή üλαις κραυγάζειν, ut habet dicerium Græcum,

Græcum. Hic verò intolerabiles imprimis sunt Summulistæ, us  
Hurtadus de Mendoza ingenuè fatetur, disput. 2. sect. 5. Nam-  
que tot regulis, divisionibus ac definitionibus inutilibus sunt o-  
nusti, ut nihil videantur efficere, nisi comminisci tenebrarum  
machinas, ad debellandos Tironum animos, ne audeant in tam  
tetur Chaos pedem inferre. Legat, addit, qui voluerit, Sotum  
in eis tenebris fugandis satis laborantem. Nos proinde per species  
frequentiores tantum & utiliores ibimus.

§. 27. I. Vel est Naturalis vel Accidentalis, Fons: in Instit. Dial.  
lib. 8. c. 28.

§. 28. Naturalis, ut ex Petro Hispano, & Domin. Ban. lib. 2.  
c. 4. accepimus, est acceptio termini pro omnibus, pro quibus  
natus est accipi, h. e. de naturâ communis per terminum istum re-  
præsentata, participant. Ostendemus rem Exemplo: Omnis  
canis est animal. Hic per vocem Canis intellectui offeruntur  
omnia inferiora, quæ modò de naturâ caninâ per Vocem Canis  
repræsentatâ participant, utpotè Melampus, Lælaps, &c. Ego  
dicerem, inquit Mendoza sect. 2. c. 4. disput. 2. sect. 5. §. 24. qui  
supponitur terminus in materia omnino necessariâ, ut Homo est  
animal.

§. 29. Idem ibidem hanc appellationis rationem subjungit,  
quia prædicatum convenit homini in quounque statu considere-  
tur, sive in actuali, sive in potentiali, sive in intellectu.

§. 30. Accidentalis vocatur, quando terminus communis non  
simpliciter pro omnibus, sed tantum pro quibusdam, nimirum  
illis, pro quibus accipi contextus, subjecta materia, circumstan-  
tiæ, ut & mens Autoris requirunt, Ex. gr. Omnis credens salva-  
tur. Hic non quivis, sed finaliter credens intelligitur. Hinc Gut-  
kius tales format descriptionem: Est acceptio termini commu-  
nis pro omnibus, qui capaces sunt adjuncti, Ut, quando dico:  
Homo erit. Ibi homo supponit pro futuris.

§. 31. Sumitur autem Accidentalis h. l. non pro vero Acci-  
dente, quia hæc est accidentalis (Petrus existit) & nullum Acci-  
dens significat: & hæc, Petrus est risibilis, dicitur significare Ac-

cidens, & non est accidentalis, sed naturalis: verum accidentalis dicitur, id est contingens.

§. 32. II. Est vel Collectiva vel Distributiva. Collectiva est, quando vox pro inferioribus collectivè sumtis accipitur, & explicatur descensu copulato. Unde & Copulata à Dutrieu dicitur. Ita sumitur subjectum hujus Propositionis: Omnia Elementa sunt quatuor, scil. simul, seu collectim sumta.

§. 33. Ex quo dicatur Collectiva, non potest non esse manifestum, quia inferiora per Conjunctionem copulativam copulatim sumtam, i.e. terminos simplices, non integras connectionem Enunciationes, enumerat. Ut: Omnes Planetæ sunt septem. Omnes Apostoli sunt duodecim.

§. 34. Notæ quibus indicari solet (1.) Numeris Pluralis; in solo enim multitudinis numero vox collectivè capi potest. (2.) Propositionis subjectum numerum significans, i.e. quando directè numerus dicitur de subjecto. Nam quando indirectè & in casu obliquo habetur vox numerum significans, non statim est Suppositio Collectiva, Ex gr. Omnis Apostolus sub numero duodenario comprehenditur, Collectiva Propositio non est, quia distributivè sumitur Particula Omnis, & de singulis Apostolis prædicatum dici potest.

§. 35. Non esse hæc ὑπὸ ὅντες σκιῶς, patet ex sequentibus Sophismatibus ex hac doctrina dijudicandis,

Omnes Planetæ sunt septem.

Sol & Luna sunt Planetæ.

E.

Omnes Theses sunt viginti,

At priores sex Theses sunt Theses.

E.

Quæ ut solidius solvas, observabis sedulò hunc Canonem, Sub Subjecto Propositionis Collectivæ non singula, sed omnia conjunctionim sumta sunt sumenda, hoc modo: Sol, Luna, Mars, Mercurius & reliqui Planetæ sunt septem. Priores sex Theses & reliquæ omnes sunt Theses. E. sunt viginti.

§. 36. Suppositionem Distributivam pro nobis Toletus lib. 2. c. 2. & Fons. c. 32. ita definiunt: Est usus termini Communis pro

omni-

omnibus suis significatis copulativè enumerandis. Quod fit per Conjunctionem copulativam copulativè sumtam, i. e. connectentem integras Enunciationes. Ut: Omnis homo est animal, Johannes est animal, etiam Petrus est animal, & Paulus est animal, & sic de cæteris: Ubi Conjunction Copulativa Et connectit integras Enunciationes.

§. 37. Venit hoc nomine, quia distribui & resolvi potest in singula seorsim respectu ejusdem subjecti & prædicati in Propositione Copulativâ. Ita Subjectum hujus Propositionis: Omnis homo est animal, resolvitur hoc modo; Hic homo est animal, & iste homo est animal. Et prædicatum hujus: Quoddam animal non est homo, sic resolvitur: Quoddam animal non est hic homo, & quoddam animal non est iste homo, &c. Vide Tolet. & Fonsec. l. c.

§. 38. Duplicem subdivisionem Suppositionis hujus distributivæ in proscenium dicit Fonseca cap. 35 lib. 8. Vel enim est simpliciter & sine exceptione, ut: Omne peccatum meretur mortem ex suâ naturâ; Vel cum exceptione talis, ut: Omnis homo præter Christum est Peccator. (2.) Alia Suppositio distributiva est pro singulis Generum, ubi ipsa individua subsumi possunt, v. g. Omnis homo est risibilis. Omne corpus est substantia. Alia v. pro generibus singulorum, quæ accipitur tantum pro omnibus speciebus, seu quasi, ut: Omne animal fuit in Arcâ Noæ, i. e. omne Genus seu species animalis, videlicet Equus, Leo, Elephas, &c. non autem omne Individuum animalis fuit in Arcâ Noæ.

§. 39. Ad cognoscendam Suppositionem hanc multæ regulæ traduntur, ex quibus duæ sunt præcipuæ. I. Cui termino additur signum universale, cuius vis aliunde non impeditur, accipitur distributivè. Ut: Omnis homo est corpus. Omne corpus est quantum. Inhibetur verò signum universale, quando dicitur: Non omnis homo est doctus. II. Utrumque extremum universalis negativæ & prædicatum particularis, singularis vel indefinitæ, sumitur distributivè Personaliter. Omnis enim negatio

quemvis terminum post se inventum distribuit, nisi jam sit distributus.

§. 40. Usum quod attinet, sequentibus ille exhibetur Canonibus. I. Sub Propositione distributivâ in genera singulorum non possunt descendere usque ad individua. Nulla igitur sequela subest: Omnis morbus fuit sanatus à Christo: At febris Petri, &c. E. Nam in superficie major creditur esse planè universalis, cum tamen sit Particularis, omnisq; non notet singula (alle vnd jede) sed singulorum genera, (allerlen.) II. Quando particula omnis vel similis est pars termini, ibi repetenda est, ubi ipse repetitur terminus, ne iidem mutilentur. Quod si verò nudum Syncategrema quantitatem significans fuerit, in argumentatione repetenda non est, ubi terminus repetitur, Quare deceptio est, non veritas in hisce:

Omnis docti habent omnem sci-      Omnis hominis pars altera immaterialiam.

Atq; Philosophi Ramæi sunt docti. Atqui corpus organicum est hominis altera pars. E,

§. 41. Denique III. Est vel vaga, vel determinata.

§. 42. Vaga, (Fonsecæ & Marsilio Confusa lib. 8. c. 31.) est acceptio termini communis pro aliquo inferiorum indeterminato seu vago. Ex. gr. Equus est mihi necessarius ad equitandum. Ubi Equus non certum & determinatum aliquod sed indeterminatum notat individuum. Hic nempè vel illè vel iste Equus ad equitandum mihi est necessarius.

§. 43. Vaga dicitur, quia subjecta in modo concipiendi vaga sunt, & non determinatè sumuntur, vel pro hoc in particulari & determinatè, vel pro illo in particulari, sed vagè & indeterminatè. Confusa autem nominatur, quia ejusmodi verba confusionis promitto, peto, opto, & omnia Adverbia numeralia, bis, ter, &c. ut Summulistæ numerant, omnia terminum Communem, in quem feruntur, coafundunt, id est, confusè atque indifferenter ponunt,

ponunt, ut: Promitto tibi librum, non singularem aliquem determino, sed indifferenter promitto librum, quem dare voluero.

§. 44. Ut hanc Suppositionem cognoscas, statim hoc notandum venit documentum, quando terminus communis non significat certum aliquid & determinatum individuum, sed vagum & indeterminatum, confusè supponit, quod sit in prædicatis propositionum universalium affirmativarum. Ut: Omnis homo est animal, scil. vel hoc vel illud: & quando signum particulare proximè eadem habent addita. Ut: Omnis Philosophus est quidam homo, i.e. hic vel ille, &c.

§. 45. Determinata est acceptio termini communis pro aliquo vel aliquibus inferioribus certis & determinatis, juxta Mârsil. tract. de Suppos. Toletus. Et Summulistæ communiter dicunt; determinatam esse, quâ supponitur terminus communis pro suis inferioribus disjunctivè. Et: Quidam homo est Imperator Romanus. E. Et hic Homo est Imperator, aut iste homo est Imperator.

§. 46. Estq; duplex: vel enim terminus communis pro inferioribus ultimatis & non ultimatis accipitur, ut quidam homo est dives: vel pro non ultimatis tantum, exclusis ultimatis, ut quodam Ens tractatur in Physicis.

§. 47. Cognosces eam, si terminus notat certum & indeterminatum Individuum, ut quidam homo currit: item si sub nomine descendere licet distributivè, ut homo est pius, id est, vel hic homo, vel iste homo est pius.

§. 48. Et hujus quoque Suppositionis usus insignis profecto est, ut ut fortè inanes & steriles subtilitates esse videantur, quæ de hac & reliquis Suppositionum speciebus proponuntur. Hæc enim non modo multum lucis afferunt doctrinæ syllog. sed in primis in genuino orationum sensu explicando & eruendo, tūm in profanis, tūm in sacris scripturis, ut probatu facillimum esset, nisi nostri instituti ratio, manum de Tabula, clamaret. Concluimus

eludimus ita cum Jamlico ad Dexippum: Θεὸς ἦν τὸς ὁ αἱληθῶς, ὁ καταδεῖξας τὴν Διαλεκτικὴν, ηγῆ καταπέμψας αἱ δεόποις: Deus aliquis revera fuit, qui demonstravit Dialecticam, & demisit hominibus.

## SUPERPONDIA.

I. An Logica omnibus disciplinis & facultatibus necessaria?

II. An in quâvis materiâ Logicè disputandum?

III. An aliquis petat principium, quum ex thesi suâ distinguendo respondet?

S. D. G.



05 A 386

**ULB Halle**  
004 210 646

3



VDT7



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-522339-p0020-0

DFG

# Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres

Inches

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

N. J.  
ATIO PRIMA  
De  
**OGICALIBUS,**  
*Quam*  
**PRAESIDIO**  
*utq; Excellentissimi Viri*  
**N I S S C H A R F I I;**  
Professoris Log. & Metaph. P.  
*proponit*  
**DÜRRIUS, DRESD.**  
lumnus Ele&t.  
*Sept. horis antem.*  
*Editorio Majori.*  
—  
**T E B E R G Æ,**  
**L A K E N, M D C XXXVIII.**

5.

